



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. VII. De Officio parvo B. Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

§. VII.

De Officio parvo B. Virginis.

I. **O**fficium hoc à S. Petro Damiani Cardinali institutum, aut certè, ut alij volunt, restitutum, extraChorum de facto nemo recitare tenetur, eò quòd Pius V. per specialem Bullam sustulerit omnem obligationem, teste Gavanto f. 9. c. 1. n. 2. Intellige tamen *Vi Ordinationis*: nam Pensionarij ob Beneficium ad hanc recitationem tenentur, uti & Religiosi aliqui ob consuetudinem, & Leges Ordinis sui.

II. Intra Chorum tenentur ad hoc Officium, quicumque antè ex consuetudine ad illud tenebantur, sed non nisi in Simplicibus extra hebdomadas Palmarum, Paschatis & Pentecostes, & Sabbatum, quando de B. MARIA dicitur Officium, occurrentibus; nisi alicubi consuetudo fuerit, ut etiam in Dominicis & Semiduplicibus recitetur; tunc enim eam servandam esse, Urbanus VIII. die 2. Jan. 1627. decrevit.

III. Tempore Paschali in Matutino dicuntur tres Antiphonæ ad Psalmos, sicut extra illud tempus; nec in fine earum, aut Invitatorij & Responsoriorum Alleluja additur, uti S. Congregatio 28. Mart. 1626. decrevit.

IV. Extra Chorum mutatur semper tertio Februarij; in Choro tamen cum ipso Purificationis Festo translato transfertur; nec ante finem Octavæ, si eam hoc Festum alicubi habeat, mutatur.

V. In Choro ante Matutinum & Vesperas, & post minores Horas recitatur; hinc in fine Laudum & Vesperarum, quia sequitur aliud Officium, Versus *Fidelium* omittitur, ut notat Gavantus l. c. n. 13.

§. VIII.

De Officio Defunctorum.

I. **O**bligantur ad hoc ij tantùm, qui ad Chorum obligati sunt, primâ die cujusvis Mensis (intellige extra Quadragesimam & Adventum, & tempus Paschale) etiam si omnes dies usque ad ultimam impediti forent, & mox iterum sequenti